DECRETUM
PARISIEN:
Beatificationis, & Canonizationis
VENERABILIS SERVI DEI
VINCENTII
à PAULO,
Congregationis Missionis, nec-non Puellarum de Charitate nuncupatarum
INSTITUTORIS.

Coram Sanctissimo D. N. BENEDICTO XIII. die 16. Septembris currentis Anni 1727. habita fuit Congregatio Generalis Sacrorum Rituum, in qua per Reveren; D. Cardinalem de Polignac Ponentem, seù Relatorem proposita causa Beatificationis, & Canonizationis Ven: Servi DEI VINCENTII à Paulo, Congregationis Missionis, nec-non Puellarum de

Charitate nuncupatarum Inſtitutoris ſuper dubio: *An conſtet de Virtutibus tum Cardinalibus ipſius Ven: Servi DEI in caſu, & ad effectum, de quo agitur.* Cùm ſuper eo idem Sanctiſsimus D. N. auditis Votis DD. Conſultorum & Reverendiſsimorum DD. Cardinalium reſolutionem tunc differre cenſuit, ut priùs in tam gravi deliberatione Cæleſte de more auxilium imploraret; tandem infra ſcripta die ſuper propoſito dubio publicari mandavit Reſponſum Affirmativum, videlicet: *Conſtare de virtutibus Ven: Servi DEI* VINCENTII à Paulo *tam Theologalibus, nempe Fide, Spe, & Charitate, quàm Cardinalibus, Prudentiâ, Iuſtitiâ, Fortitudine, & Temperantiâ, earumq; annexis in gradu Heroico, in caſu, & ad effectum, de quo agitur.* Et ita &c. Hac die 22. Septembris 1727.

N. Cardinalis Coſcia
ProPræfectus.

Locus ✠ Sigilli.

N. M. Thedeſchi Archiep. Apamenus,
S. Rit. Congreg. Secr.

D E-

DECRETUM
PARISIEN.
Beatificationis, & Canonizationis
VENERABILIS SERVI DEI
VINCENTII
à PAULO,
Congregationis Missionis, & Puellarum Charitatis.
FUNDATORIS.

DIe 12. currentis Mensis Iulij, Anni 1729. coram Sanctissimo Domino Nostro BENEDICTO XIII. habita fuit Congregatio Generalis Sac. Rituum, in eaquè per Reverendissimum Dominum Cardinalem de Polignac Ponentem, seù Relatorem Proposita Causa Parisien. Beatificationis, & Canonizationis Ven: Servi Dei VINCENTII à PAVLO Congregationis Missionis, & Puellarum Charitatis Fundatoris super dubio -- *An. & de quibus Miraculis constet in casu, & ad effectum &c.* Sanctitas sùa auditis

tùm DD. Consultorum, tùm Reverendissimorum Dominorum Cardinalium Suffragijs, nihil tunc decernere censuit, sed resolutionem differre voluit, ut priùs de more Divinam opem imploraret. Cùm autem id jam egisset, infrascripta die Divo Bonaventuræ Ecclesiæ Doctori Sacra, post Missam in Capella S. Pij V. celebratam, super proposito dubio sequens Responsum edidit, Videlicet constare de Miraculis, Primo *Subitæ Sanationis Claudij Iosephi Compoin à Cæcitate.* Secundo, *Instantaneæ Largitionis loquelæ, & Virium Mariæ Annæ Lhullier Puellæ octenni à Nativitate Mutæ, & ad motum Artuum inferiorum impotenti.* Quinto *Instantaneæ Sanationis Sororis Maturinæ Guerin ab inveterato, & maligno Vlcere in Tibia.* Et Octavo *Subitæ Sanationis Alexandri Philippi Le-Grand ab inveterata, & contumaci Paralysi* tamquàm Miraculis tertij generis. Præsensq; Beatificationis Ven: Servi Dei VINCENTII à PAVLO per literas Apostolicas in forma Brevis cum consvetis Indultis quandocunq; faciendæ Decretum expediri, & publicari mandavit. Die xiv. ejusdem Mensis Iulij 1729.

N. Gard. Coscia.

Loco ✠ Sigilli.

N. M. Tedeschi Archiepiscopus Apamenus Sac. Rit. Cong. Sec.

BE-

BEATIFICATIO
SERVI DEI
VINCENTII
à PAULO,
Congregationis Missionis, & Puellarum Charitatis.
FUNDATORIS.
BENEDICTUS PP. XIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

IVstus, ac misericors Dominus peculiarium quorumdam Servorum, atq; Electorum suorum, quos à constitutione mundi in opus suum prædestinatos multiformis gratiæ suæ charismatibus instruxit, Sanctitatem interdum signis, atq; portentis testatam facit in terris, ut illis, quos perennis gloriæ coronâ donat in Cælis, debitæ quoq; vene-

rationis cultus à Fidelibus impendatur. Inter quos, cùm longè, lateque refulserit Servus Dei VINCENTIVS à PAVLO Sacerdos Gallus, Congregationis Presbyterorum Sæcularium Missionis, & Societatis Puellarum Charitatis nuncupatarum Fundator, qui mirabili in DEVM, ac Proximum charitate (dilatante cor ejus Spiritu Sancto) succensus, veræq; pietatis operibus, & præsertim Animarum lucro jugiter intentus, pauperes Ruricolas, quos ut plurimùm in ignorantiæ tenebris miserè jacere dolebat, erudiendi, Fideiq; Catholicæ mysteria, & præcepta, ac viam salutis edocendi voto se, & Presbyteros dictæ Congregationis obstrinxit, necnon Clero ritè instituendo in primis addixit, aliarumq; omnium virtutum præsidio, & robore accinctus ex alto, toto peregrinationis, ac conversationis suæ tempore fidelem se Ministrum, strenuumq;, ac indefessum vineæ Domini cultorem, & Operarium exhibuit, atq; Ecclesiam universam nedùm suavissimo spiritualium aromatum odore implevit, sed etiam uberrimorum fructuum fæcunditate locupletavit, plenusq; dierum, ac meritorum, dilectus DEO, & hominibus, mortalis hujus vitæ cursum feliciter consummavit; Apostolici muneris, quod nos gerere voluit Altissimus, ratio exigit, ut tam splendidam lucernam diutiùs sub modio latere non sinamus, sed super candelabrum ministerio nostro collocetur, ut luceat omnibus, qui in Domo sunt, ad Omnipotentis DEI gloriam, Catholicæ Ecclesiæ decus, Christianiq; populi consolationem, ac Spiritualem ædificationem. Cùm

itaq;

itaq; maturè, diligenterq; diſcuſsis, atq; perpenſis per Congregationem Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpoſitorum Proceſſibus de Apoſtolicæ Sedis licentiâ confectis ſuper vitæ Sanctitate, & virtutibus heroicis, quibus idem Servus DEI VINCENTIVS à PAVLO multipliciter claruiſſe, necnon Miraculis, quæ ad ejus intercеſsionem, & ad manifeſtandam hominibus illius Sanctitatem à DEO patrata fuiſse aſſerebantur; ipſa Congregatio Cardinalium coram Nobis conſtituta, auditis etiam Conſultorum ſuffragijs, uno ſpiritu, unâq; voce cenſuerit, poſſe, quandocunq; Nobis videretur, prædictum Servum DEI Beatum declarari cum ſolitis Indultis. Hinc eſt, quod Nos pijs, atq; enixis Chariſsimi in Chriſto Filij Noſtri Ludovici Francorum Regis Chriſtianiſsimi, ac Chariſsimæ in Chriſto Filiæ Noſtræ Mariæ eorundem Francorum Reginæ Chriſtianiſsimæ ejus Conjugis, pluriumq; aliorum ſublimium Catholicorum Principum, necnon Venerabilium Fratrum Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, ac Dilectorum Filiorum Cleri Regni Galliarum, totiuſq; inſuper dictæ Congregationis Presbyterorum Sæcularium Miſsionis ſupplicationibus Nobis, & huic Sanctæ Sedi ſuper hoc humiliter porrectis benignè inclinati, de memoratorum Cardinalium conſilio, & aſſenſu, auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium indulgemus, ut idem Servus Dei VINCENTIVS à PAVLO in poſterum Beati nomine nuncupetur ejuſq; Corpus, & Reliquiæ venerationi Fidelium (non tamen in Proceſsio-

bus

bus circumferenda) exponantur; Imagines quoq; radijs, seù splendoribus exornentur, ac de eo quotannis die Anniversaria felicis ejus obitus recitetur Officium, & Missa celebretur de Confessore non Pontifice juxta Rubricas Breviarij, & Missalis Romani. Porrò recitationem Officij, ac Missæ celebrationem hujusmodi fieri concedimus in locis duntaxat infrascriptis, videlicet: in Pago de Podio, vulgò Poy, Aquen, Provinciæ Auxitan., ubi dictus Dei Servus natus est, in Castro de Clichi Parisien, & in Oppido de Chatillon juxta Principatum Dombarum Lugdunen. respectivè Diæcesum, in quibus curam Animarum obivit, ac in Civitate Parisien., unde ad Cælos evolavit, & ubi Venerabile ejus Corpus requiescit, ab omnibus utriusq; sexus Christifidelibus tam Sæcularibus, quàm Regularibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, ac in universa Congregatione Missionis præfata, tàm quoad Clericos, & Presbyteros ejusdem Congregationis, quàm quo ad Convictores, & Alumnos, qui in illius Domibus commorantur; demùm in singulis Ecclesijs, sivè Capellis, vel Oratorijs prædictæ Societatis Puellarum, quam ipse Servus Dei sub nomine Charitatis instituit, pro Sacerdotibus Ecclesiarum, sivè Capellarum, vel Oratoriorum istiusmodi servitio addictis; & quantùm ad Missas attinet, etiam ab omnibus Presbyteris ad Ecclesias, in quibus Festum peragetur, confluentibus. Præterea primo duntaxat anno à datis hisce literis, & quoad Indias à die, quo eædem literæ illuc pervenerint inchoando, in Ecclesijs

Pagi,

Pagi, Caſtri, Oppidi, Civitatis, Congregationis, ac Societatis hujuſmodi Solemnia Beatificationis ipſius Servi DEI cum Officio, & Miſſa ſub ritu duplici majori, die ab Ordinarijs reſpectivè conſtituta, poſtquam tamen in Baſilica Principis Apoſtolorum de Vrbe celebrata fuerint eadem Solemnia (pro qua re diem XXI. currentis Menſis Auguſti aſsignamus) pariter celebrandi facimus poteſtatem. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Decretis de non Cultu editis, cæteriſq; contrarijs quibuſcunquè. Volumus autem, ut præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſsis, manu Secretarij ſupradictæ Congregationis Cardinalium ſubſcriptis, & Sigillo Præfecti, ſeu Propræfecti ejuſdem Congregationis munitis eadem prorſus fides ab omnibus, & ubiquè tam in judicio, quàm extra illud habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XIII. Auguſti MDCCXXIX. Pontificatus Noſtri Anno ſexto.

Fr. Card. Oliverius.

O R A T I O
Approbata à Sanctissimo D. N. Domino
BENEDICTO XIII.
IN HONOREM
BEATI VINCENTIJ
à PAVLO
Recitanda in Officio & Missa.
O R E M U S.

DEUS, qui ad evangelizandum Pauperibus, Derelictorum, Infirmorumquè miserias sublevandas, & Ecclesiastici Ordinis decorem promovendum, Filij tui Spiritum in Apostolica Beati VINCENTIJ à PAULO, Charitate, & Humilitate suscitasti, ejus nobis intercessione concede; ut à peccatorum miserijs sublevati, eadem tibi semper Charitate, & Humilitate placeamus. Per eundem &c. in unitate ejusdem &c.

INSTRUMENTUM PUBLICUM
ACTORUM
In SOLEMNIIS BEATIFICATIONIS
B. VINCENTIJ
á PAULO,
Congregationis Misionis, & Puellarum Charitatis,
FUNDATORIS,
In Sacrosancta Sancti Petri Basilica celebratis
die 21. Augusti 1729.

IN Nomine Domini Amen. Anno ab ejusdem Domini Nostri IESV Christi salutiferâ Nativitate, millesimo septingentesimo vigesimo nono, Indictione septimâ, die verò vigesimâ primâ mensis Augusti, Pontificatûs autem Sanctissimi in eodem Christo Patris, & Domini Nostri D. BENEDICTI Divinâ Providentiâ Papæ Decimitertij, Anno sexto. Cùm in Causa Parisien. Beatificationis, & Canonizationis Venerabilis

Servi Dei VINCENTII à PAVLO, Congregationis Missionis, & Puellarum Charitatis Fundatoris, per Sanctissimum Dominum Nostrum BENEDICTVM Papam Decimumtertium feliciter regnantem, fuerint sub die vigesima quarta Septembris, millesimo septingentesimo vigesimo septimo, prævia tamen Congregatione Generali Sacrorum Rituum coram Sanctitate Sua habita, die decimâ sextâ ejusdem mensis Septembris approbatæ virtutes, tàm Theologales, quàm Cardinales in gradu heroico, prout fusiùs videre est in Decreto desuper edito, & publicato, mihiq; Notario infrascripto tradito præsentibus inserendo tenoris sequentis videlicet -- Parisien. Beatificationis, & Canonizationis Venerabilis Servi Dei VINCENTII à PAVLO Congregationis Missionis, nec-non Puellarum de Charitate nuncupatarum Institutoris. Coram Sanctissimo Domino Nostro BENEDICTO Decimotertio, die decimâ sextâ Septembris currentis anni millesimi septingentesimi vigesimi septimi, habita fuit Congregatio Generalis Sacrorum Rituum, in qua per Reverendissimum Dominum Cardinalem de Polignac Ponentem, seù Relatorem propositâ Beatificationis, & Canonizationis Venerabilis Servi Dei VINCENTII à PAVLO, Congregationis Missionis, nec-non Puellarum de Charitate nuncupatarum Institutoris super Dubio -- *An constet de virtutibus tùm Theologalibus, tùm Cardinalibus ipsius Venerabilis Servi DEI in casu, & ad effectum de quo agitur.* -- Cùm super eo idem Sanctissimus Dominus Noster auditis votis Domi-

norum

norum Consultorum, & Reverendissimorum Dominorum Cardinalium, resolutionem tunc differre censuisset, ut priùs in tam gravi deliberatione Cæleste de more auxilium imploraret; tandem infrascriptâ die super proposito Dubio publicari mandavit Responsum affirmativum videlicet -- *Constare de virtutibus Venerabilis Servi Dei Vincentij à Paulo, tam Theologalibus, nempè de Fide, Spe, & Charitate, quàm Cardinalibus, Prudentia, Iustitia, Fortitudine, & Temperantia* -- earumq; annexis in gradu heroico, in casu, & ad effectum de quo agitur: & ita &c. Hac die vigesimâ secundâ Septembris, millesimo septingentesimo vigesimo septimo -- Nicolaus Cardinalis Coscia -- Loco ✠ Sigilli. N. M. Tedeschi Archiepiscopus Apamenus Sacrorum Rituum Congregationis Secretarius -- Et rursùs in eadem Sacrorum Rituum Generali Congregatione coram prælibato Sanctissimo Domino Nostro Papa habitâ die duodecimâ Iulij proximè præteriti per Eminentissimum, & Reverendissimum Dominum Cardinalem de Polignac Ponentem, seù Relatorem propositum fuerit Dubium -- *An, & de quibus Miraculis constet in casu, & ad effectum &c.* -- Idemq; Summus Pontifex, auditis priùs Reverendissimorum Consultorum, ac Eminentissimorum, & Reverendissimorum Dominorum dictæ Sacræ Congregationis Cardinalium suffragijs, & in re tàm gravi resolutionem differens, Diviniq; luminis priùs implorato præsidio, super proposito Dubio sub die decimâ quartâ ejusdem mensis Divo Bonaventuræ Ecclesiæ Doctori Sacra, quatuor Miracula,

tanquàm tertij generis approbaverit, ejusdemq; Servi DEI Beatificationis per Literas Apostolicas in forma Brevis quandocumq; faciendæ Decretum expediri, & publicari mandaverit, prout latiùs ex hujusmodi Decreto Typis impresso, & publicato, mihiq; Notario pariter tradito ad effectum inserendi tenoris sequentis videlicet -- Decretum -- Parisien. Beatificationis, & Canonizationis Venerabilis Servi Dei VINCENTII â PAVLO Congregationis Misionis, & Puellarum Charitatis Fundatoris. Die duodecima currentis mensis Julij, Anni millesimi septingentesimi vigesimi noni coram Sanctissimo Domino Nostro BENEDICTO Decimotertio habita fuit Congregatio Generalis Sacrorum Rituum, in eaq; per Reverendissimum Dominum Cardinalem de Polignac Ponentem, seù Relatorem propositâ Causâ Parisien. Beatificationis, & Canonizationis Venerabilis Servi Dei VINCENTII à PAVLO Congregationis Misionis, & Puellarum Charitatis Fundatoris super Dubio -- *An, & de quibus Miraculis constet in casu, & ad effectum &c.* -- Sanctitas Sua, auditis tùm Dominorum Consultorum, tùm Reverendissimorum Dominorum Cardinalium suffragijs, nihil tùnc decernere censuit, sed resolutionem differre voluit, ut priùs de more Divinam opem imploraret. Cùm autem id jam egisset, infrascriptâ die Divo Bonaventuræ Ecclesiæ Doctori Sacra, post Missam in Capella Sancti Pij V. celebratam, super proposito Dubio sequens responsum edidit, videlicet -- *Constare de Miraculis* -- Primò: Subitæ sanationis Claudij

Iose-

Iosephi Compoin à cæcitate; Secundò: Instantaneæ largitionis loquelæ, & virium Mariæ Annæ Lhullier Puellæ octenni à nativitate mutæ, & ad motum artuum inferiorum impotenti. Quintò: Instantaneæ sanationis Sororis Maturinæ Gverin ab inveterato, & maligno ulcere in Tibia; Et Octavò: subitæ sanationis Alexandri Philippi Le-Grand ab inveterata, & contumaci Paralysi, tanquàm Miraculis tertij generis. Præsensq; Beatificationis Venerabilis Servi Dei VINCENTII à PAVLO per Literas Apostolicas in forma Brevis cum consvetis Indultis quandocumq, faciendæ Decretum expediri, & publicari mandavit. Die decimâ quartâ ejusdem mensis Iulij, millesimo septingentesimo vigesimo nono -- Nicolaus Cardinalis Coscia -- Loco ✠ Sigilli -- N. M. Tedeschi Archiepiscopus Apamenus Sacræ Rituum Congregationis Secretarius --- Pro majori autem supradicti promulgati Decreti robore, & firmitate, idem Sanctissimus pijs, enixisq; Serenissimi Ludovici Francorum Regis Christianissimi, & Serenissimæ Mariæ eorundem Francorum Reginæ Christianissimæ ejus Conjugis, aliorumq; plurium sublimium Catholicorum Principum, necnon Reverendissimorum Archiepiscoporum, Episcoporum, & universi Cleri Regni Galliarum, totiusq; Congregationis prædictæ, Presbyterorum Sæcularium Missionis supplicationibus inclinatus per Literas Apostolicas indulserit, ut idem Venerabilis DEI Servus VINCENTIVS à PAVLO in posterùm Beati nomine nuncupetur, ejusq; Corpus & Reliquiæ venerationi Fideli-

delium (non tamen in Procefsionibus circumferenda) exponantur. Imagines quoq; Radijs, feù Splendoribus exornentur, & de eo quotannis die anniverfaria felicis ejus obitûs recitetur Officium, & Miſſa celebretur de Confefsore non Pontifice, juxta Rubricas Breviarij, & Mifsalis Romani, certis tamen in locis modifq;, & formis ſpeciatim, & reſtrictivè exprefsis, poſtquàm tamen in Bafilica Principis Apoſtolorum Vrbis folemnia Beatificationis ejufdem Servi DEI fuerint celebrata, & prout latiùs habetur, & continetur in literis Apoſtolicis in forma Brevis, ut moris eſt, expeditis, datis Romæ apud Sanctum Petrum fub Annulo Pifcatoris die decimatertiâ currentis menfis, ad quas relatio habeatur Cumq; omnia pro folemnibus hujufmodi Beatificationis adimplendis, diligenti curâ Admodum Reverendi Domini Gvillelmi Vielleſcafes Caufæ Poſtulatoris in Sacrofancta Vaticana Bafilica parata effent, ad cujus inſtantiam, ego Notarius requifitus ad dictam Sacrofanctam Bafilicam accefserim; ideò Solemnia, quæ pro dicta Beatificatione ibidem habita fuêre, aliaquè, ut infra adnotavi. In exteriori Maximi, & Auguſtifsimi Templi facie, & fuprà ejufdem Ianuas, nempè fuprà mediam in eminentiori loco affixa extabat Effigies depicta Servi DEI in Cælum tendentis, & fubtùs dictam Effigiem à parte dextera aderant Infignia Summi Pontificis, ab altera verò parte Infignia Serenifsimi Francorum Regis Chriſtianifsimi. Suprà binas laterales Ianuas mediæ contiguas, Stemma Sacrofanctæ Vaticanæ Bafili-

Baſilicæ à parte dextra, & à parte ſiniſtra Stemma dictæ Venerabilis Congregationis Miſsionis; ſuprà quoquè mediam interiorem Ianuam ejuſdem Auguſtiſsimi Templi, per quam à Porticu in illud aditus patet, depicta apparebat Effigies ejuſdem Servi DEI multorum Langventium, & Invalidorum ad eum confugientium hiſtoriam exprimens cum hac ſubjecta Inſcriptione - - *Curavit multos, qui vexabantur varijs languoribus. Marci primo ℣. trigeſimo quarto;* Auguſtiſsima verò intrinſecus Baſilica holoſerico damaſceno rubro, Tenijs aureis per Suturas decurrentibus interſtincto, ornata undequaquè conſpiciebatur. Alia quoq; Effigies Servum DEI Cælum ingredientem repræſentans aptata erat ante Altare dicatum Cathedræ Sancti Petri, Cruce, & Candelabris argenteis auratis, alijſquè pretioſis paramentis magnificè decoratum, aptatis paritèr, & elegantèr diſpoſitis hinc indè alijs Candelabris ligneis aureo colore contectis, præſtantiquè opere elaboratis, ſuper quibus Candelæ, ſeù Cerei in magna copia ardebant. Ab utroquè verò dicti Altaris latere appoſita erant Sedilia, ſcilicèt à cornu Evangelij pro Eminentiſsimis, & Reverendiſsimis Dominis Cardinalibus Sacræ Rituum Congregationis, ac Illuſtriſsimis, & Reverendiſsimis ejuſdem Sacræ Congregationis Prælatis, & Conſultoribus, à ſiniſtra verò, ſeù cornu Epiſtolæ pro Eminentiſsimo, & Reverendiſsimo Domino Cardinali Archipresbytero, Illuſtriſsimis, & Reverendiſsimis Dominis Archiepiſco-

pis, Epiſcopis, alijſquè Prælatis, necnon Canonicis ejuſdem Beſilicæ, & dicto Admodùm Reverendo Domino Gvillelmo Vielleſcaſes Congregationis Miſsionis Presbytero, & pro eadem Congregatione Cauſæ Poſtulatore, pluresquè alij demiſsiorum Scamnorum Ordines pro reliquo ejuſdem Baſilicæ Clero, ſicuti à tergo Sedilium Eminentiſsimorum, & Reverendiſsimorum Dominorum Cardinalium aderat Sedile pro Reverendiſsimis Generalibus Religionum, nec deerant alia Scamna ad excipiendos Sacerdotes Sæculares, & Regulares, qui ex omni Familia, & Communitate plures interfuerunt, necnon Nobiles, & Optimates ex Laicis, tùm Romanis, tùm Exteris; quæ Sedilia quoad maximam partem pretioſis Textilibus, pro Perſonarum aſsidentium Dignitate adaptatis, ad gradus uſquè cooperta erant, & in medio plateæ circulo ante dictum Altare argentea Lampas mole, & ſtructurâ magnificâ pendebat, ſuprà quam plures alij Cerei, ſeù Candelæ conſiſtebant, alijquè Cerei, ſeù Candelæ, tàm in Altari Confeſsionis nuncupato, ejuſquè balauſtro ſuper argenteis, quàm in alijs Altaribus ejuſdem Baſilicæ ſuper æneis Candelabris erant impoſiti, duo verò Muſicorum magni Chori cum Organis non longè à dictis Scamnis, tàm à cornu Evangelij, quàm à cornu Epiſtolæ erant erecti, aſsiſtebatquè Cuſtodia Militum Helueticorum ex Cohorte Pontificia ad Populi impetum coercendum inſtructa. Accenſis igitur, & collucentibus dictis Cere-

is,

is, ſeù Candelis ſuprà recenſita Candelabra, & Lampadem appoſitis, multiſquè Nobilibus Viris in corona dictorum Militum Helueticorum permanentibus, & inſolita Populi multitudine extrà dictorum Militum corona affluente, quò ſibi lucraretur Cæleſtes Theſauros Indulgentiæ plenariæ ab eodem Sanctiſsimo conceſsæ, & per Edictorum affixionem publicatæ pro omnibus Confeſsis, Sacraquè Communione refectis, dictæquè Beatificationis Solemnitati intereſsentibus, ſeù dictam Baſilicam eadem die devotè viſitantibus, advenerunt infraſcripti Eminentiſsimi, & Reverendiſsimi Domini Cardinales dictæ Sacræ Rituum Congregationis Præpoſiti, videlicèt -- Picus à Mirandula, Zondedarius, Origus, Polignac, Belluga, Cienfuegos, de Comitibus, Mareſuſcus, Pipia, Lercari, Fini, Gotti, Porzia, Cibo, Oliverius, & Falconerius, ac Illuſtriſsimi, & Reverendiſsimi Domini Prælati, & Conſultores totam Sacram Rituum Congregationem repræſentantes, eiſdemquè conſidentibus in Sedilibus ipſis reſpectivè paratis, proceſsionalitèr diſceſsit è Sacrario dictæ Eccleſiæ, præcedenti Cruce, cum Acolytis, & univerſo Clero Baſilicæ, Illuſtriſsimus, & Reverendiſsimus Dominus Ioannes Franciſcus de Nicolais Archiepiſcopus Myren. Miſſam Solemnem celebraturus, Pluviali tunc albo indutus cum Mitra, inter duos Canonicos cum Dalmaticis, Diaconi & Subdiaconi Officium gerentes, ſubſequentibus Eminentiſsimo, & Reverendiſsimo Domino An-

nibale Cardinali Albano ejuſdem Baſilicæ Archipresbytero, & nonnullis Reverendiſsimis Archiepiſcopis, & Epiſcopis: factaquè ab omnibus adoratione, fuſisquè precibus, primò ad Altare Sanctiſsimi SACRAMENTI, indè ad Altare Sanctorum Apoſtolorum, omnes acceſſerunt ad locum, ut ſuprà paratum, prædictiſq; omnibus ſua loca tenentibus, aſsiſtentibus quoquè duobus ejuſdem Baſilicæ Cæremoniarum Magiſtris, Illuſtriſsimus, & Reverendiſsimus Dominus Nicolaus Maria Thedeſchi Archiepiſcopus Apamenus dictæ Sacræ Congregationis Secretarius, aſsociatus ab altero ex dictis Ceremoniarum Magiſtris, acceſsit ad latus dicti Eminentiſsimi, & Reverendiſsimi Domini Pici à Mirandula, tanquam Cardinalis antiquioris, quoad præſentes (ob non interventum Eminentiſsimi, & Reverendiſsimi Domini Cardinalis Præfecti ab Vrbe abſentis, & Eminentiſsimi, & Reverendiſsimi Pro-Præfecti Infirmi, & ob ſupervenientiam Eminentiſsimi, & Reverendiſsimi Domini Imperialis Cardinalis antiquioris quoad omnes alios, qui nonniſi paulò poſt completam infraſcriptam inſtantiam advenit,) eodem autem tempore coram dicto Eminentiſsimo, & Reverendiſsimo Domino Cardinali Pico à Mirandula, alijſquè Eminentiſsimis, & Reverendiſsimis Dominis Cardinalibus ab altero Magiſtro Cæremoniarum deductus, præfatus admodùm Reverendus Dominus Gvillelmus Vielleſcaſes Poſtulator, habens præ manibus literas Apoſtolicas prædictas in for-

ma

ma Brevis, ut ſuprà expeditas, illaſquè dictæ Sacræ Congregationi debitâ reverentiâ originaliter præſentans, & perorans, inſtitit, ut ſequitur -- Cenſuit hæc Sacra Rituum Congregatio coram Sanctiſsimo Domino Noſtro BENEDICTO Papa Decimo Tertio conſtare de Sanctitate Vitæ, ac de Virtutibus, tùm Theologicis, tùm Cardinalibus in gradu heroico Venerabilis Servi Dei VINCENTII à PAVLO Sacerdotis, & Fundatoris Congregationis Miſsionis, necnon Societatis Puellarum Charitatis. Cenſuit pariter conſtare de Miraculis, quæ poſt ejus felicem obitum ad illius Interceſsionem operatus eſt DEVS. Hoc graviſsimo Sacræ Congregationis Iudicio permotus Sanctiſsimus Dominus Noſter indulſit, & benignè conceſsit per Breve datum die decima tertia hujus menſis Auguſti, ut hic DEI Servus Beati nomine nuncupari poſsit, ac de eo tanquam de Confeſsore non Pontifice, tàm in hac Alma Vrbe, quàm in Diœceſibus Aquenſi, Pariſienſi, & Lugdunenſi in Gallia, & in tota ubiquè Congregatione Miſsionis, necnon in Eccleſijs, Capellis, & Oratorijs Societatis Puellarum Charitatis Miſsam, & Officium recitare liceat. De hoc, ut conſtet omnibus fidelibus, ego tanquàm hujus Cauſæ Poſtulator humiliter deprecor hanc Sacram Congregationem, & nominatim Eminentiam Veſtram, ut jubeat debitæ mandari executioni Breve Pontificium, quod mihi commiſsum fuit, atquè ideò trado Eminentiæ Veſtræ more ſolito publicandum ad

Majorem DEI Gloriam, ejusquè Venerabilis Servi Decus sempiternum — Quâ Oratione, seù Instantiâ completâ, dicti Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Sacræ Congregationis Cardinales, receptis pro ea per dictum Eminentissimum Dominum Cardinalem Picum à Mirandula, uti antiquiorem, quoad præsentes, dictis Literis Apostolicis, eisquè repertis illæsis, & in nulla parte suspectis, illas admiserunt, & publicari, dictaquè solemnia celebrari, & alia desuper necessaria, & opportuna ad earundem Literarum formam fieri, & exequi mandarunt; & per dictum Dominum Postulatorem, eâ, quâ par est reverentiâ debitis relatis gratijs, dictus Eminentissimus Dominus Cardinalis Picus à Mirandula, alijs annuentibus, consignavit dicto Reverendissimo Domino Secretario dictas Literas Apostolicas, ad effectum illas unà cum præcedenti Instantia dicti Domini Postulatoris, omnibusquè ab Eminentia Sua, alijsquè Eminentissimis Dominis Cardinalibus dictæ Sacræ Congregationis, ut supra mandatis deferendi ad Eminentissimum Archipresbyterum è conspectu sedentem, prout illæ incontinenti delatæ fuerunt per ipsum Reverendissimum Secretarium ab altero ex Cæremoniarum Magistris, ut suprà dictum est, necnon etiam à dicto Domino Postulatore associatum. Quas Literas Eminentissimus Archipresbyter debita cum reverentia recepit, & vidit, uniquè ex dictis Cæremoniarum Magistris dedit, mandavitquè per Mansionarium Archivistam

ſtam dictæ Baſilicæ, vel alium ab eo ſubſtituendum palàm, & publicè perlegi, proùt unus ex Capellanis Chori per dictum Archiviſtam ad hoc ſubſtitutus, parendo mandatis prædictis, aſcenſo ſuggeſtu retrò Sedilia dictorum Reverendiſsimorum Canonicorum exiſtente, eaſdem Literas Originales ſuis præ manibus receptas (porrecto tamen mihi Notario ibidem aſsiſtenti per dictum Dominum Poſtulatorem illarum tranſumpto, Sigillo Eminentiſsimi, Reverendiſsimi Domini Cardinalis de Marinis Præfecti ab Vrbe abſentis munito, & per dictum Illuſtriſsimum, & Reverendiſsimum Dominum Archiepiſcopum Apamenum dictæ Sacræ Congregationis Secretarium ſubſcripto, mequè illud præ manibus tenente, & auſcultante) de verbo ad verbum alta, intelligibili voce perlegit, & publicavit, & è ſuggeſtu deſcendens, retento pariter penès ſe ſimili tranſumpto, eidem Domino Poſtulatori adhuc præſenti, & recipienti eaſdem Literas Originales reſtituit, earumq; tranſumptum mihi, ut ſuprà traditum, præſentibus inſerendum duxi, tenoris ſequentis videlicèt -- Beatificatio Servi Dei VINCENTII à PAVLO, Congregationis Miſsionis, & Puellarum Charitatis Fundatoris -- BENEDICTVS Papa Decimus Tertius; ad perpetuam rei memoriam. Iuſtus ac miſericors Dominus peculiarium quorundam Servorum, atquè Electorum ſuorum, quos à Conſtitutione Mundi in opus ſuum prædeſtinatos multiformis gratiæ ſuæ Chariſmatibus inſtruxit,

San-

Sanctitatem interdùm signis, atquè portentis testatam facit in terris, ut illis, quos perennis gloriæ coronâ donat in Cælis, debitæ quoquè venerationis cultus à Fidelibus impendatur. Inter quos &c. N. M. Tedeschi Archiepiscopus Apamenus Sacræ Rituum Congregationis Secretarius --- Absoluta lectione prædicta, Reverendissimus Archiepiscopus celebrans, deposita Mitrâ, inchoavit Canticum -- *Te DEUM Laudamus*, reliqua prosequentibus Musicorum Choris, & in ipso Cantici initio, amotis velis sericis, quibus dicti Venerabilis Servi DEI Imagines, ubi suprà, respectivè existentes, coopertæ fuerant, idem Celebrans, & Canonici, Diaconus, & Subdiaconus, alterquè Canonicus assistens Pluviali pariter indutus, alijquè Ministri ei assistentes, Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Cardinales, Illustrissimi Domini Prælati, & Reverendissimi Consultores, dictæ Sacrorum Rituum Congregationis, Eminentissimus Dominus Cardinalis Archipresbyter, Reverendissimi Canonici, & reliqui de Clero, cæteriquè Reverendissimi Archiepiscopi, Episcopi, & Nobiles Viri, & cuncta Populi multitudo, genibus flexis, Imaginem prædictam suprà dictum Altare collocatam devotissimè venerati sunt, & statim ad clangorem Tubarum intùs & extra Basilicam personantium plurium Tormentorum Bellicorum extrà eandem Basilicam paratorum Fragor auditus fuit. Finitoquè Cantico, & per Diaconum Evangelij prolato Versiculo --

Ora

Ora pro Nobis Beate VINCENTI --- habitaquè Chori responsione ----- *ut digni efficiamur promissionibus CHRISTI*, necnon per ipsum Archiepiscopum Celebrantem recitata Oratione propria de dicto Beato à Sanctissimo approbata, idem Archiepiscopus Celebrans cum dictis Assistentibus, Pontificalibus ad Sacrificium indutus Missam: *Iustus ut palma florebit* de Confessore non Pontifice cum dicta Oratione propria & Evangelio de Communi Evangelistarum, sic Ordinante Sanctissimo Domino Nostro, solemnitèr celebravit, personantibus Organis, alijsquè Musicis Instrumentis, & Cantoribus decantantibus, clangentibus identidem in fine Ecclesiæ, ac extrà eam Tubis, & pro dicto Domino Postulatore nonnullis dictæ Congregationis Reverendis Sacerdotibus ab initio Imagines Beati impressas, alias in Serico aureis virgulis circumdatas, & alias in papyro unà cum liberculo Compendij Vitæ dicti Beati, ejusquè Oratione, & transumpto impresso dictarum Literarum Apostolicarum cuilibet adstantibus Eminentissimis Dominis Cardinalibus, & Archiepiscopis, Episcopis, Canonicis, Consultoribus, & alijs de Clero distribuentibus; Et ita solemnia Beatificationis d. jam Venerabilis Servi DEI nunc Beati VINCENTII à PAVLO in Basilica Principis Apostolorum de Vrbe celebrata sunt, non solùm &c. sed omni &c. super quibus omnibus, & singulis præmissis petitum fuit à me Notario infrascripto, ut unum, vel plura, publi-

D cum,

cum, seù publica, Instrumentum, & Instrumenta conficerem, atquè traderem, quatenùs opus sit, & requisitus ero. Actum in supradicta Basilica præsentibus ibidem Dominis Antonio Vandoluò filio Francisci, & Iosepho Berti filio quondam Laurentij, Ambobus Romanis, Testibus ad præmissa omnia vocatis, habitis specialiter atquè rogatis.

Ego Cosmus Antonius de Bernardinis Publicus Apostolica Authoritate Notarius, & in Archivio Romanæ Curiæ descriptus, & Sacrorum Rituum Congregationis Notarius, Cancellarius, & Archivista de præmissis rogatus, subscripsi, publicavi, meoquè solito signavi requisitus in fidem &c.

